

PRÆFATIO AD TROADAS.

Totus jam effluxit annus, ex quo propositum meum hujus fabulæ edendæ notum fecimus Eruditis. Verum illius propositi ea conditio fuit, ut nihil absolvī potuisset, ni Patronorum Munificentia sumptus typorum in se recepisset. Quæ res mihi grata quidem evenit (immo gratissima, quippe quæ præter exspectationem venit), ob meam Euripidisque causam: Euripidis, quia Suavissimi Poetæ manent etiam nunc (semper utinam mansuri) et honos laudesque; meam autem ob causam quia, non indignus eram visus, qui juvenis adhuc, inter Euripidis editores numerarer. Hanc de me conceptam fuisse nimis benignam opinionem tempus fortasse demonstrabit. Patronorum igitur nomina constitui mecum in præsens reticere (quod animus sane gratus moleste fert), veritus scilicet, ne decoris aliquid propter meas ineptias eorum opibus in lucem prolatas Patronis, licet immeritis, adhæreret.

Omissis iis, quæ de causis edendi libri scriptores referre solent, lectoribus quidem sæpe tædii plena, nonnunquam et a vero abhorrentia (quoniam una fere mens, laudis scilicet vel lucri cupido, diversos omnes impellit), rationes mihi liceat aperire, quænam me potissimum duxerint ad hanc Tragœdiam eligendam. Movit Valckenaerii vox, (omnibus harum litterarum cultoribus habenda divina prope vox) qui nostram fabulam inter optimas Euripideas recenset. Movit ipsa dramatis præstantissimi pulchritudo, cuius virtutes in se comprehendunt Euripidis pathos, judicium Sophoclis et Æschyli magniloquentiam. Movit

a